Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25986
Copyright: Admont, Benediktinerstift

montem et descendit. quia capacioribus maiora praecepta committenda sunt. minus intelligentibus minora. Sive quia propter activam vitam non est deserenda contemplativa. neque propter contemplativam activa. Vespere autem facto solus erat ibi. Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Creator elementorum permisit elementa id est ventos et mare adversus naviculam discipulorum saevire. ut liberati uberiores gratias ei referrent. et notum fieret miraculum. Allegorice per naviculam sancta designatur ecclesia. vento moti sunt fluctus in mari. quia et in mundo hoc instinctu inmundorum spirituum mota sunt corda iudeorum ad persequendam ecclesiam. Labor quoque apostolorum in navigando. labor est ecclesiae de qua ad stationem perpetui litoris venire festinat. De qua bene dicitur. Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. quia dominus frequenter a deo permisit eam adversitatibus fatigari. ut si fieri posset creator suus illam deseruisse videretur. Unde cum propheta clamat dicens. Ut quid domine recessisti longe. despicis in oportunitatibus in tribulatione. Et quia dominus sperantes in se non deserit. subiungit.

Lxxxi. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Super mare dominus ambulat. dum omnes calcat adversitates. et hoc quarta vigilia fit. quia postquam homo suae infirmitatis tenebras transcendit et in liberatore deo spem suam collocat. oritur ei lucifer id est gratia dei. Sciendum enim solere milites nocturnas vigilias inter horarum spacia dividere. ergo quartam vigiliam pene totam lucifer illuminat. In eo sane quod quarta vigilia venit ad eos. ostendunt apostoli pene totam noctem laborasse. Sed quare diutius passus est eos laborare? Ut uberiores gratias suo referrent liberatori. Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt dicentes. Quia fantasma est. Et prae timore clamaverunt. Hoc loco dicit Marcus quia voluit eos praeterire. Sed unde hoc cognoverunt? Quia per transversum gradiebatur. Voluit eos praeterire. ut ipsi videntes terrerentur atque clamarent. ad quorum voces dum dominus veniret et liberaret eos. ei gratias uberiores referrent. Et hodie dominus eos praeterit. qui eum fantasma putant. tamen si per paenitentiam convertantur redit ad eos. Statimque locutus est eis dicens. Habete fiduciam. ego sum. nolite timere. Primo timorem expulit et dicit ego sum. et non exprimit nomen. quia eum sola voce poterant intelligere. Sive ideo dicit ego sum. ut illum esse cognoscerent qui ait ad moysen. ego sum qui sum. Et quia beatus petrus magne fidei et ardoris erga dominum extitit. respondit dicens. Domine si tu es iube me venire ad te super aquas. Iube ut liquidum elementum firmetur et hoc grave corpus leve fiat. Magni etiam fuit meriti quod praeceptis audire meruit. veni. Et descendens petrus de